

DISPUTATIO TERTIA.

Exhibens explicationem Quaestionis:

*An peccatorum à Deo impetrata remissio per in-  
sequentia peccata fieri possit irrita?*

habita

d. IV. Martii M DC XVIII.

Respondente

JOHANNÉ RUMPFELDIO, Idsteiniano-Nassovico.

TRANSITIO.



IN secundâ Disputatione pro virili planum feci *ἔνθυμα*: *An Deus posteros filiosque & alios puniat ob flagitia, à Majoribus, parentibus, & aliis patrata?* Ubi quia juxta ductum S. Scripturæ dixi, nullum, verè piorum hominum, remissione suorum peccatorum à Deo per fidem in Christum gratis donatorum, *quà fidelis is est & manet*, ob pessima aliorum facinora à Deo immissam sustinere pœnam, quæ quidem *ipsius pii hominis respectu*, pœna, *exquisite dicta*, sit (tum enim pœna est nihil aliud, quàm punitio culpæ, *non remissa*: At verò in Christum credenti omnia peccata *sunt remissa*) quamvis pœna presse dicta illa queat esse, respectu aliorum hominum impiorum, qui suis criminibus nequiter admissis, Deum atrociter ad iram concitatum, commoverint ad immisionem alicujus pœnæ gravissimæ: jam restat explicanda Quaestio: *An remissio peccatorum, quam verè pius homo per fidem à Deo nactus est, per alia insequentia ipsius maleficia, possit fieri irrita?* Si enim Quaestionis *affirmatio* est vera; sequitur inde, quòd verè pius homo *quandoque* propriè dictam sustineat pœnam, ob atrocita Majorum, parentumque suorum, aliorumve delicta, divinitus inflictam; tum scilicet, quando *is malitiose lapsus*, remissionem peccatorum suorum sibi fecit irritam & inanem: & sic sub maledictione Legis est. Sin *negatio* est vera; consequens erit, quòd verè fidelis homo, respectu sui ipsius spectatus, *nunquam* patiat pœnam, *ἀνεξβῆς* acceptam & à Deo ipsi immissam. Ubi enim est remissio peccatorum immutabiliter (ut est respectu Dei) ibi etiam est condonatio suppliciorum, strictè acceptorum, invariabiliter.

THE-